



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Reverendis Et Illustribus Dominis Virisque Clarissimis
Subdecano & Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ
Coloniensis dominis suis gratiosis ...**

Hermann <V., Köln, Erzbischof>

[Köln], [1545]

VD16 K 1742

urn:nbn:de:hbz:466:1-35072



Th. 1440a.

1. Caroli V edictum ꝛ. novatores. Worms 1521
2. —"— Befehl von dem Cöluen. Ans
Kurf. Röl. Konig zu blatten C. 1544,
3. Offnung der Rathsstube des Capitel zu C. 1544.
4. Inßalbe von dem Ans Feylisch, die
Jurisdiction abzurufen, mit
dem An erben.
5. Appellatio Coloniensium in @ Relig. 44
6. des Capitel von dem Feylisch. 25 Oct. 44,
7. Citatio Imperatoris ꝛ. Archiep. Col. 45
8. Appellatio Archiepiscopi,
9. Citatio Curie Rom. ꝛ. Archiep.
10. Responsio cleri Col ꝛ. appel. Archiep.
11. Caroli V. Inßalbe von dem Cöluen.
12. Jo Cochlens ad Caput. col. 1. Aug 45.
13. Herrn Archiep. ad Wormatenses
14. idem ad Imp. Carolum V.
14. Cochlens pro Roffensi et Thoma Moro
15. Capitel zu C von dem dem Imperat. 8 Aug 45
16. Inßalbe von dem Philippus von dem
17 Nov 45

die alte Nummerierung ist falsch.

Insgesamt 30 Stücke

In Meiner, Bonn

April 1957

17. Act. Decapitalis C. protestat
contra duo Cartas Ludov. 7 Dec. 45

18. Sententia Nuntii ap. pro
Capitulo V. Decanum.

19. Instructio duo dno in alligis
Thoma in duo Decapitalis
und duo Decanum Decanum.

45
y... a...
Caelanus

17

REVERENDIS ET ILLVSTREBVS DOMINIS VIRISQVE CLARISSIMIS Subdecano & Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ Colonienfis dominis suis gratiosis.



REVERENDI, ILLVSTRES, generosi, clarissimiq; uiri domini mei gratiosi & perpetuo colendi. Saluere ac pie fortiterq; agere Reuerendas & Illustres dominationes uestras à Deo semper precor et opto, ac paruitati meæ ueniam suppliciter peto, quòd meis literis obstrepere importunè, ut uereor, grauioribus curis negotijsq; uestris præsumo. Certe non alia id à me fit ratio ne, nisi ut fideli studio cupiam Reuerendis ac Illustribus D. V. inseruire, ubicunq; detur mihi facultas aut occasio, qualis profecto nunc non ita parua mihi oblata uidetur. Nam ut uidi copiam duarum Archiepiscopi uestri Epistolarum, quas inuidiosis querelis odiosè refertas aduersus Reuerendas & Illustres D. V. & contra totum Clerum, Vniuersitatèq; Coloniensem, ad Principes ac Status sacri Romani Imperij è Buscho uen uicesimo sexto Iunij scripsit, eas raptim excipisti, & in Latinum transluli, ac mox duo exemplaria Latina per proprium nuncium Augustam misi, ut per uerèdariam postam (ut uocant) ulterius mittantur, unum, Tridentum ad Reuerendissimum dominum Cardinalem S. Crucis legatum: alterum Romam ad R. D. Cardina. Ardingellum. Et nunc alia mitto, tum Vuormatiam ad Reuerendiss. D. Rossanensem Archiepiscopum Nuncium apostolicum, tum ad Reuerendas & Illustres D. V. Et si enim non ignoro Coloniae per gratiam Dei multos esse uiros, qui eas Epistolas longe clarius elegantijsq; aptius, quàm ego, interpretari sciant ac possint, dubitavi tamen apud me ipsum, an Epistolarum illarum copia statim ad manus uestras peruenerit. Timui enim, ne forte insidiosè & astute practicaretur in tergum uestrum, antequam resciretis Tragicas istas Archiepiscopi & Principis uestri aduersum uos querelas. Rogo igitur deuotè ac suppliciter, Reuerendæ & Illust. D. Vestræ hanc meam curam ac sollicitudinem æqui boniq; faciant, & ineptiorum translationem meam non indignè accipiant. Quod si forte per alias occupationes uestri in hoc graui certamine præpediti, eas Epistolas in Latinum non uerterunt, oportuum mihi uideretur, ut hoc exemplar meum clarius factum & transcriptum, primo quoq; tempore cõmunicetur alijs, qui Appellationi uestræ tam piæ quàm necessariæ, in terris inferioribus adherent, cõ quod
A illi

illi Germanicum nostrum difficulter legunt & intelligunt, praesertim Leodienses & Traiectenses. Adde praeterea schedam antiquae historiae ex Chronicis Reginonis, cui etiam Otto Frisingensis & Sigebertus in Chronicis concordant. Ex qua cognoscere licet, quid acciderit olim Guntherio Archiepiscopo quondam uestro, quem ego centuplo minus peccasse crediderim, quam peccat nunc praesens iste Archiepiscopus uester. Bene autem spero Deum Optimum Maximū & uiuorum in terris precibus, & sanctorum in caelo intercessionibus assiduīs exoratum, breui uiam pacis uobis istic praeparaturum esse, iuxta illud uerbum Saluatoris nostri in Lucae Euangelio scriptum: Deus autem non faciet uindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis. Dico autem uobis, quia cito faciet uindictam illorum. Haec consolationis uerba non possunt esse irrita, quia scriptum est: Veritas domini manet in aeternum. Bene ualete, & inuicem consolamini & confortamini in hisce uerbis aeternae ueritatis, quae mentiri aut fallere non potest, Reuerendi, Illustres ac gratiosi domini mei. Hoc enim certamen uestrum pro fide & ueritate Ecclesiae sempiternam uobis ad posteros & successores uestros gloriam ac laudem procul dubio pariet, nec uos Deus in tempore hoc malo in finem usque derelinquet. Iterum ualete. Ex Eystet. Calendis & primo die mensis Augusti. Anno domini. M. D. quadragesimo quinto.

Reuerendis & Illustribus D. V.

Perpetuo deuotus & ad
quaeuis obsequia paratus

Ioannes Cochleus
Canonicus Vratis
lauien. & Chori S.
Vuilibaldi Eysteten.

REVERENDISSIMIS IN CHRISTO AC ILLU

*strissimis, Reuerendis ac Illustribus, honorabilibus doctissimisq; ac
præstantibus, Imperij Electoribus, Principibusq; ac publi
cis Imperij Statibus & absentium Oratoribus,
nunc Vuormatiæ congregatis, nostris di
lectis amicis, cognatis, affini
bus, fidelibus ac præ
dilectis.*

AMica obsequia nostra & quicquid iucundi ac boni possumus, beneuo
lamq; salutationem imprimis. Reuerendissimi in Christo ac Illustrissi
mi Principes, Reuerendi, Illustres, Nobiles, honorabiles, doctissimi ac præ
stantes, dilecti amici, cognati, affines, fideles & prædilecti: Qualiter nos pro
pter multiplices inimicos & temerarios conatus quorundam nobis obstricto
rum, rebellium tamen subditorum, Romanam Cæsa. Maiestatem uestrasq;
dilectiones & uos scriptis interpellare, ac nos coram Cæsarea Maiestate ue
strisq; dilectionibus & uobis ad audientiam offerre & ulterius rogare, &c.
necessario compellimur, ex adiuncto scriptis intelligetis. Quum ad dilectiones
uestras & uos, tanquam ad commembra nostra in Imperio, confidentiam ha
beamus omnis fraternæ, amicæ ac beneuolæ fidelitatis, & quod omne infortu
nium & perturbationem Germanicæ nationis summopere præcauere studeatis:
neq; dubitemus scire uos probe considerare, quid talia importent, & quo ten
dere queant, ideo ad dilectiones uestras & uos peramica petitio nostra est,
ut haud grauatim huiusmodi scriptum nostrum legere & desuper consultare,
ac rebellium periculosam & ad mala multa tendentem actionem, nostramq;
summè rationadilem oblationem petitionemq; cordialiter ponderare, ac Ro
manæ Cæsareæ Maiestati nostro omnium clementissimo domino, unâ cum
Consiliarijs nostris diligentissime proponere ac supplicare, ut cum hæc nego
tia magnam Germanicæ nationis inquietudinem tumultumq; præ se ferant, cle
menter provideat, quo aut nostræ piæ & iustæ oblationi detur locus, aut re
bellibus nostris nullæ aduersum nos & omnes nostros concedantur citatio
nes, mandata & alia scripta, sed à falsis & procacibus querelis, Appella
tionibus, alijsq; ineptis attentationibus suis cohibeantur, eisq; perpetuum im
ponatur silentium. Quatenus omnis generis incommoda, quæ ex peruerso sensu
quorundam hominum, qui causam hanc ad perditionem nostri Archiepisco
patus, ac totius demum Germanicæ nationis agitant, præueniantur, atq; tran
quillus status, in quo Archiepiscopus noster hætenus sub nostro regi
mine stetit, manuteneatur. Et pax, quies, & concordia in sacro Imperio eo me
lius promoueatur & conseruetur. Denique ne alij subditi occasionem habeant

A ij horum

horum peruersorum & rebellium hominum exempla sequi, & sub tali uel con-
simili pretextu resistere omni Christianae atque etiam externae emendationi,
quam superior potestas libenter instituere uelit, iustamq; obedientiam recu-
sare. Hac & omnem aliam promotionem in hac causa uolumus de dilectione ue-
stra & uobis indubitanter sperare, atque in simili & maiori, omnibusq; alijs
negotijs libenter & amice promereri, gratiosesq; & in omni
bono recognoscere. Ad has literas & ad scriptu
nostrum his inclusum acceleratam respon-
sionem rogantes & petentes. Da-
tum in Buschouen uice
sina sexta Iunij,
Anno
Millesimo quingentesimo qua-
dragesimoquin-
to.

Hermannus Dei gratia Archiepiscopus Colonie
ensis, & Princeps Elector, Dux Westphaliae.

Hermannus manu propria.

Omnium

OMNIUM SERENISSIMO, MAGNIPOTEN-

tissimo atq; Inuictissimo principi ac domino, domino Carolo, Romano Imperatori semper Augusto, in Germania, Hispania, utraq; Sicilia &c.

Regi, Archiduci Austriae, Duci Burgundiae, &c. Reuerend-

issimis quoque & Illustrissimis, Reuerendis, Illustribus,

Nobilibus, doctissimis, honorabilibus & praestanti-

bis, Electoribus, Principibus, & communi-

bis Imperij Statibus & absentium Orato-

ribus nunc Vuormatiae cōgregatis, no-

stris omnium clementissimo do-

mino, & dilectis amicis, fi-

delibus, & praedi-

lectis.

OMnium Serenissime, Magnipotentissime, Inuictissime Romane Imperator, omnium clementissime domine. Reuerendissimi in Christo, & Illustrissimi Principes, Illustres, & honorabiles, doctissimi & praestantes, dilecti amici, cognati, fideles, ac praedilecti. Casa. Maieſta. ueſtrae, ueſtrisq; dilectionibus & uobis, dicimus nostra subiectissima ac debita atq; etiam amica obsequia, benignam salutationem, & gratiosam uoluntatem, atq; cognoscendum offerimus, quod et si ad deuotam ac sedulam instantiam petitionemq; uenerabilis Capituli nostri Metropolitanani, Comitumq; & Nobilium ac Ciuitatum ditionis nostrae: Considerantes quoq; quod recessus Ratisponensis, & insuper ipsum officium nostrum id nobis iniungit: Deliberationem Christianae Reformationis instituumus, & ad bonam praeparationem salutaris huiusmodi operis Christianae Reformationis, constituimus quosdam pios & tam in doctrina, quam in conuersatione probatos concionatores in nostro Archiepiscopatu, ac deinde illam deliberationem nostram in diebus aliquot prouincialibus praedicto Maioris Ecclesiae Capitulo, Comitibus, Nobilibus et Ciuitatibus proponi fecimus, petentes, ut quosdam pios, doctos & probos uiros ex suis deputarent, qui deliberationem illam ulterius in manus reciperent, atq; una cum deputatis nostris in domino expenderent, ac consultarent, & in omnibus, quae Catholica & Apostolica forent, inter sese concordarent. Cumq; ij, qui erant ex parte Comitum Nobiliumq; & Ciuitatum, de hoc summas ac subiectissimas nobis gratias agerent, & quaelibet pars ad deputandum consentiret, aliqui tamen ex nostro Maioris Ecclesiae Capitulo dixerunt, quod nostrum Capitulum Metropolitanum pro sua parte id facere grauaretur ex ijsce rationibus, tum quia deliberatio comportata & instituta sit per alienos & non probatos, absq; eorum scitu & consilio. Tum quia ipsis non conueniat, cum communibus nostrae prouinciae statibus tanquam secularibus, in

A ij Reli

Religionis & fidei causis ad ullum tractatum sese intrmittere. Ac deinde sub nomine dicti Capituli nostri fecerunt per Typographum euulgari admodum prolixam, minime tamen fundatam informationem contra deliberationem illam nostram, etiam priusquam nostra uendi ac dispergi permetteretur. Nos præterea apud Cæsaream Maiestatem uestram grauius detulerunt ac multipliciter accusarunt, tanquam conaremur per hoc non solum omniuaque grauem innouationem contra Catholicam Ecclesiam introducere, uerum etiam nostram antiquam, ueram, Christianam & Catholicam Religionem unã cum uniuerso statu Ecclesiastico extirpare ac delere. Et super his deinceps uaria mandata, commissionesque à Cæsarea Maiestate uestra, licet ueritatem subdicendo, ac suggerendo quod uerum non est, non solum ad status nostri Archiepiscopatus, uerum etiã ad honorabilem Senatũ unã cum generali Clero & Uniuersitate Ciuitatis nostræ Colonienſis obtinuerunt. Quemadmodum & Papale scriptum quoddam eius rei gratia ad Maioris Ecclesiæ Capitulum ibidem Coloniae editum est, in quo sanè nos non solum contra ueritatem, sed etiam neque requisiti neque auditi in Archiepiscopali & Electoria dignitate nostra inmaniter iniuria affecti, ac uelut insanus Archiepiscopus & impius hæreticus, qui Archiepiscopali nomine dignus amplius non sit, traducti & criminati sumus. Quamuis autem non intermiserimus dictos de Capitulo frequenter tum scriptis, tum ore proprio clementissimè ac paternè requirere, ut pium istud propositum nostrum non adeo impie peruerterent, sed adhuc intrmitterent se in pium & Christianum colloquium per deputatos ex omni parte, ac tam de nostra deliberatione, quam de ipsorum prætensa contra eam instructione, informationem darent & acciperent. Rogauerimusque eos in omni mansuetudine & humilitate Christiana, nosque obtulerimus in omnibus, ubicunque uel nimium, uel minus parum fecisse uideremur, siue in uerbo Dei, siue in uera Catholica & Apostolica traditione, si de ijs informari possimus, quod non solum libenter doceri meliora uelimus, sed etiam abrogare ac prohibere, quicquid in contrarium esset attentatum. Attamen huiusmodi precatio oblatioque nostra, apud quosdam de Capitulo, non solum nihil effecit, sed multo acrius deinceps, uehementiusque falsis querimonijs aduersum nos egerunt. Neque ijs contenti, sed postremo appellationem prætensam, famosam, inualidam, ac male fundatam aduersum nos & Christianum institutum nostrum interposuerunt. Quam deinde per Typographiam euulgauerunt, eamque nostris Suffraganeis, eorumque Capitulis, aliisque Ecclesiasticis, in & extra nostram Diocesim, atque etiam tribus nostræ prouinciæ statibus secularibus, ualde importunè rigideque obtulerunt, postulantes ac requirentes, ut prætensæ istiusmodi appellationi eorum adhareant, & eam contra nos unã cum ipsis prosequantur, & ad finem perducant. Quæ sanè omnia nos de ipsis nequaquam sperassemus,
attene

attenta, quod super usq; adeo decentem ac benignam oblationem nostram, neq; ipsos, neq; ullum alium ex Clero per hoc grauauimus, sed multo magis cum nostro ipsius graui temporali incommodo ac damno, ad ipsorum & temporalem, & perpetuam salutem rem promouimus. Nam & ipsi deputati à Capitulo nostro rogauerunt nos pro uera & Christiana Reformatione, ultra Prouincialem illam Reformationem, quæ antea nostro sub nomine ædita fuit. Et per hoc ultrò confessi sunt, quòd prior illa ad ueram Christianam emendationem non fuerit sufficiens, sed perfectiore ac meliore quapiam opus sit. Tacemus, quòd per Papale scriptum euulgatum iam damnati eramus, quanquam neq; requisiti, neque auditi, atque ita contra utrunq; Ius, diuinum uidelicet & humanum. Quare ex hac alijsq; rationibus aliqui de Capitulo nostro, unà cum ijs, quos ad se traxerunt, ad Papam hoc in casu nequaquam constanter appellare potuerunt. Et licet nos post insinuatam huiusmodi prætensam Appellationem, mox & ex superabundanti ad sæpe dictos de Capitulo scripserimus, commemorando prædictas aliasq; plures rationes: nosq; obtulerimus ad audientiam, iuxta nouissimè datum Recessum Spirensis, uel generalis liberi Christiani Concilij in Germanica Natione, uel Nationalis congregationis, uel Romanæ Cæsareæ Maiestatis omnium clementissimi domini nostri unà cum Electoribus, Principibusq; & communibus Statibus, rogantes ac petentes, ut huiusmodi prætensam & inualidam Appellationem abijcerent, ac pro deserta haberent. Et sperabamus utique, quòd dicti de Capitulo simul cum Clero & Vniuersitate ibidem, de huiusmodi oblatione, ac de eo, quòd in dicto Recessu Spirensi expressè prouisum est, deberent esse contenti: At ne hoc quidem fieri potuit, sed processerunt aduersarij quanto diutius, tanto uehementius. Et omnia quæcunque potuerunt ad opponendum se nobis & ad sibi adhærendum, non solum prelatorijs requisitionibus, uerum etiam multiplicibus scriptis minisq; permouere conati sunt, quemadmodum & hodie adhuc non quiescunt, sed ea sunt finaliter uoluntate & intentione, ut ultra omnes à nobis factas preces petitionesq; & oblationes huiusmodi Appellationem prosequantur, nosq; ab huiusmodi salutari instituto nostro auertant & in hoc impedian, non solum in graue exitium multarum animarum, pro quibus filius Dei pretiosum sanguinem suum fudit, uerum etiam in summum & nostrum & nostrarum Prouinciarum subditorumq; periculum, ad suum præterea ipsorum proprium & temporalem & perpetuum interitum ac detrimentum.

Quum igitur animaduertamus iam, quòd ij, qui hanc causam aduersus nos temerarie agunt ac dirigunt unà cum suis adhærentibus, nulla oblatione, quantumcunq; rationabili ac Christiana, contenti sunt: Nos autem absque conscientia nostra, & præsertim summæ Maiestatis diuinæ offensione ea,

A iiij quæ

quæ sic propter Christianam Reformationem & emendationem instituiamus,
& scimus ea ad nihil aliud, quàm ad honorem Dei & ad salutarem Ecclesie
sue ædificationem ordinata esse, nequaquam possumus ea absque meliore
Christianiore ac stabiliore informatione, quàm uidimus hucusque, abrogare
ac deserere: sed sicut nos & coram Deo, & coram mundo debitores & obli-
gatos agnoscimus, ita uolumus ea omnia summis uiribus in opus perducere,
& in ijs nihil nos impedire sinemus. Quanquam cum plena eorum declaratione
hactenus, & diutius quidem, quàm bene sciamus coram Deo de hoc respon-
dere, distulimus. Cumq; semel in prædicto Recepto Spirensi expressè cautum
sit, quòd articulus controuersæ Religionis nequaquam per huiusmodi præten-
sam & famosam Appellationem, sed per amicam potius & Christianam
concordiam alicuius generalis liberi Christiani Concilij in Germania, aut
Nationalis congregationis, aut Imperialis dietæ, tolli ac definiri debeat. Vo-
lumus igitur adhuc & ex superabundanti nos aduersus ductores huius immitis
negotij omnesq; alios, qui eis in hoc adhærere uolunt, coram Cæsarea Maie-
state uestra, domino nostro omnium clementissimo, simulq; coram dilectioni-
bus uestris ac uobis, utpotè Electoribus, Principibus & communibus Stati-
bus in hac dieta ad comparandum, & ad dandum & recipiendum de omni no-
stro proposito & instituto in prædicta causa, Christianam & piam informa-
tionem, obedienter, amice & gratiosè obtulisse, sperâtes nos tam multa esse ab-
laturos, quòd Maiestas uestra, uestræq; dilectiones & uos, ac unusquisque,
compertum habere debeatis, nos nihil aliud, nisi quòd Catholicum Aposto-
licumq; & in diuina scriptura fundatum sit, quæ siuissè ac proposuissè. Rogâ-
mus itaque obedienter, amice & gratiosè, ut dicti de Capitulo simul cum ad-
hærentibus suis eò inducantur, quo summè rationabilem ac Christianam obla-
tionem nostram semel acceptent, nosq; ulterius cum huiusmodi prætensa, fa-
mosa, ac male fundata Appellatione super his non grauent.

Si uero aduersarij, eorumq; adhærentes huiusmodi oblationem nostram
rursus recusauerint, & super hæc in suo iniquo & impio proposito persuera-
uerint, uolumus nos hisce scriptis similiter coram Cæsarea Maiestate ue-
stra, uestrisq; dilectionibus & uobis obedienter, amice & gratiosè protesta-
tum ac partum esse, quòd nos in hisce plus quàm satis obtulerimus, ac ex parte
nostra in omnibus, quæ ad Christianam concordiam, atque ad promouen-
dam pacem, quietem & concordiam conducibilia sint, nihil per nos obstitisse,
quòdq; de cætero cum plena declaratione omnium, quæ ad honorem Dei, atque
ad salutarem Ecclesie sue emendationem iuxta uerbi diuini auctoritatem
pertinent, nos non diutius differre, sed in his procedere oporteat, sicut nos
tanquam Archiepiscopum ex officio atque ex iure facere decet, & iuxta
Recept

Recessum Ratisponensem in his nos nihil impedire sinemus. Quemadmodum de Cæsarea Maieſtate nos obedienter confidimus, ſimiliter & de dilectionibus ueſtris, deq; uobis amice & gratioſe ſperamus, q; Cæsarea Maieſtas, dilectioneſq; ueſtra & uos in his nulla cum indignatione aut ſiniſtro animo ſuſpectos nos habebunt, ſed multo potius ad hæc nobis bonum Chriſtianum conſilium, fidutiamq; & adiutricia media, promotioneſq; clementer & amice oſtendent ac exhibebunt. Quod ſane nos erga Cæsaream Maieſtatem ueſtram, ergaq; dilectioneſ ueſtras & uos, noſtris ſubiectiſſimis obedientibuſq; fidelitatibus, amicisq; obſequiſ promereri, & in omni bono recognoſcere promittimus, ſperantes de ſuper clementiſſimum, amicum ac fidutiale reſponſum.

Datum in Buſchouen uiceſimaſexta Iunij,
Anno Milleſimo quingenteſimo
quadrageſimoquin
to.

Cæſa. Maieſt. V.

Subiectiſſimus
obeditor

Hermannus Archiepiſcopus
Coloniſſis, Elector, Admi
niſtrator Paderbornenſis.

A iiij Ex li

EX LIBRO IOAN

NIS COCHLAEI DE PAPAE NI

colai primi quibusdam Epistolis, actis & de

cretis, pro defensione Episcopi

Roffen. & Tho.

Mori.

Ex Chroni
cis Regi-
nonis anti-
qui auctoris.



Guntheri-
us olim ar-
chiepisco-
pus Coloni-
ensis.

Forre, Fin-
dicuntur.

ANNO DOMINICAE IN-
carnationis D. CCC LX IIII. Lo-
tharius Rex coepit occasiones quaerere, qua-
liter Thietbergam Reginam a suo consortio
separare potuisset, quam exosam habebat pro-
pter Vualdradam, quae eius fuerat concubi-
na, cum adhuc adolescens esset, in domo pa-
terna. Hanc siquidem diabolo inflammante,
nimio diligebat amore. Guntherium itaq; Co-
loniensi urbis Pontificem, qui eo tempore erat Archicapellanus, Rex
primo per subintroductos missos, deinde per semetipsum, super huiusce-
modi dissidio, omni arte aggreditur. Et ut facilius assensum praerberet,
promisit se eiusdem Episcopi neptem in matrimonium accepturum, tan-
tum ut praedictam Thietbergam, eius aliorumq; Episcoporum auctori-
tate & licentia, repudiare quacunq; ratione potuisset. Qui (ut erat leuis
animo, ac inconsideratus actione) protinus omni intentione introducitur,
uana spe (ut postea claruit) seductus. Rursus idem Guntherius Thiet-
gandum Archiepiscopum Treuerensem hac de causa alloquitur. Et sci-
ens esse uirum simplicem, nec adeo in diuinis scripturis eruditum, Canonis-
cisq; sanctionibus exercitatum, ex utriusque Testamenti paginis quasdam
sententias profert, quas aliter, quam Ecclesiastica regula docet, edisse-
rens, uirum improuidum secum in foueam trahit, caecus caeco ducatum praes-
tans. Quid plura? Facta sunt omnia, quae huic commento uidebantur esse
necessaria. Concilium Metis conuocant, Reginam quasi canonicè uoca-
tam, in medio statuunt, testes producunt una cum scriptis, quae ualde gra-
uia crimina imponebant. Inter alia protestati sunt, quod eadem Thiet-
berga confessam fuisset, semetipsam fratris Germani incestuoso concubitu
esse pollutam. Continuo statuta patrum de incestuosis recitantur. Et non
solum a legitimo uiro separatur, uerum etiam omnis copula maritalis inhi-
betur. Poenitentia iuxta modum culpae inducitur. Et tali nefaria machi-

na

natione diu exoptata uoluntas Regis adimpletur. Non multo post interiecto tempore, iterum Conuentum Synodalem Aquisgrani coadunant, ubi Rex libellum suæ proclamationis obtulit, ubi continebatur, qualiter in quadam fœmina, Thietberga nomine, factiosis perfidorum hominum argumentis fuerat defraudatus. Imò non mediocriter repetiuit, quòd iudicio Episcoporum dissidij sententiam pertulisset. Quæ si idonea esset coniugali thoro, & pestifera incestus pollutione fœdata non fuisset, nec uiuæ uocis confessione publice condemnata, sponte eam retineret. Porro se incontinentem esse professus est, & sine copula iuuenilis ætatis ardorem ferre non posse. Allatis itaque diuersorum Conciliorum uoluminibus, multa de incestuosis replicata sunt. Quibus recitatis, hanc diffinitiuam sententiam protulerunt: Credimus illam non fuisse idoneam ac legitimam coniugem, neque à Deo præparatam esse uxorem, quæ publica confessione incestuoso fornicationis crimine denotata probatur. Quocirca glorioso principi nostro, pro sua in diuino cultu deuotissima assertionione atque uictoriosissima Regni tuitione, cui non solum nos, uerum etiam Canonica auctoritas interdicit incestuosum coniugium, legitimum matrimonium à Deo illi concessum non denegamus, iuxta indulgentiam dicentis Apostoli: Melius est nubere quàm uri. His itaque patratís, Vualdrada iam in publicum procedit, stipata obsequentium multitudine, omnisq; regia aula resultat, Vualdradam Reginam esse. Guntheri Episcopi neptis ad Regem accersitur, ac semel (ut aiunt) ab eo constupratur, atque cum cachinno & omnium derisione ad auunculum remittitur. Igitur agentibus fratribus Thietbergæ Reginæ hæc omnia ad notitiam Nicolai Papæ deferuntur, qui eo tempore Romanæ præsidebat Ecclesiæ.

ANno igitur dominicæ incarnationis D. CCC LXV. missi sunt Hagano & Rodoaldus, Apostolicæ Sedis Legati, in Galliam ad discutiendum, utrum res ita se haberet, sicut summo Pontifici nunciata fuerat. Qui in Franciam uenientes, pecunia corrupti, magis fauerunt iniquitati, quàm æquitati. Tamen ad Regem peruenientes, cum ei declarassent legationis suæ causas, tale responsum ab eo acceperunt: Se nihil aliud egisse, nisi quod Episcopi ipsius Regni in generali Synodo sibi agendum præmonstrassent. Dederunt autem idem Legati consilium Regi, ut illos Episcopos, qui illi Synodo præfuerant, ad Sedem Apostolicam destinaret, qui uerbis ac scriptis uniuersali Papæ satisfacerent. Legati immensis ditati opibus Romam regressi sunt, nunciaueruntq; Præsuli, quæ in Gallijs uiderant & audierant, adijcientes, se nullum sapientem Episcopum in Regno Lotharij inuenisse, qui ad liquidum Canonicis esset institutus disciplinis.

Interea

Interea Thietgandus & Guntherius Archiepiscopi Romam profecti sunt ea animi intentione, ut Regem innoxium in supradicto facto demonstrarent, & se cum cæteris Coepiscopis Ecclesiastica atque Apostolica exersuisse decreta. Stultitiæ quidẽ elogio denotandi, qui illã Petri Sedem aliquo prauo dogmate fallere posse arbitrati sunt, quæ nec se fefellit, nec ab aliqua hæresi unquam falli potuit. Itaq; cum in præsentiam Nicolai Papæ uenissent, libellum obtulerunt, in quo continebantur gesta Synodalia, quæ in Mediomatricourbe & Aquis ab eis statuta fuerant. Qui cum à Notario coram omnibus recitatus esset, interrogauit Pontifex, si hæc scripta uerbis confirmarent? Inconueniens uideri, ut quod proprijs manibus roborauerant, uerbis infirmari mallent. Et sic nec repulsa nec admissa eorum assertione, iussi sunt ire ad hospitia sua, quousque reuocarentur. Paucis interpositis diebus ad Synodum, quam Papa congregauerat, sunt accersiti, ubi eorum damnata & anathematizata sunt scripta, & ipsi, omnibus adiudicantibus Episcopis, Presbyteris & Diaconis sunt depositi, & omni Ecclesiastica dignitate priuati.

Quam turpiter debonestati, Ludouicum Imperatorem fratrem Lotharij Regis adeunt, qui ea tempestate Beneuentanis morabatur in partibus, scriptis & dictis uociferantes, se iniuste esse depositos, ipsi Imperatori & omni sanctæ Ecclesiæ iniuriam esse factam, cum nunquam auditum sit, ueluspian lectum, quod ullus Metropolitanorum fuerit degradatus. Adiecerunt insuper multa alia, blasphemantes eundem Papam, quæ hic superfluum duximus enumerare: existimantes se eiusdem Imperatoris adminiculo simul & intercessionis ope, & criminis obiecti aboleri notam, & pristinae dignitatis recuperare statum. Sed spes eorum frustrata est, quamuis Imperator omnibus uotis illis opitulari uoluisset. Thietgandus depositionis suæ à Sede Apostolica prolatam sententiam patienter ferens iuxta præcedentem consuetudinem, nihil omnino de sacro mysterio contingere præsumpsit. Guntherius uero superbiæ spiritu inflatus, uetitum sibi officium usurpare ausu temerario non expauit, parui pendens Apostolicam communicationem. Reuertuntur igitur in Franciam, debita confessione repulsi. Et dum iterum ac tertio Sedem Apostolicam reparationis & restitutionis gratia adissent, nouissime in Italia infirmitate præuenti, peregrini & exules moriuntur, communionem laicali sibi tantum concessa.

Anno dominicæ incarnationis D. CCC LXVI. Arsenius Episcopus, Apocrisarius & Consiliarius Nicolai Papæ, uice ipsius directus est in Franciam, quo perueniens tanta auctoritate & potestate usus est, ac si idem summus Præsul aduenisset. Conuocato denique Episcoporum

rum

rum conuentu, Lotharium Regem alloquitur, ut unum e duobus eligat, aut propria reconcilietur uxori, abdicato Vualdradæ pellicis consortio, aut protinus anathematis gladio feriretur, post omnesq; ei in hoc scelere fauorem præstantes. Hac necessitate compulsus uel constrictus, uellet, nollet, Thietbergam Reginam in matrimonium recepit, interposito Iurifurandi sacramento, se illam ita in reliquum habere, sicut æquitatis iura dicunt legitimam uxorem esse tenendam. Nec eam à se separaret, nec ipsa uiuente aliam super eam induceret. Post hæc
Vualdradam, ex aucto
ritate Dei &
sancti
Petri, & uerbo domini Apostolici Romam ire
iubet, ut pro se rationem reddere studeat.


FINIS.


Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.





48
8...

7









E
189

VI 711
Th
1440a